



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Methodus Clara Et Facilis Vacandi Orationi mentali Atque Exercendi se cum fructu in præsentia Dei**

**Coloniæ Agrippinæ, 1687**

Caput XI. De solitudine ac lectione spirituali.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46004](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46004)

scribit, cui rei qui vacat, eorum dulcedinem interea etiam dum scribit, gustare contendit.

Semetipsum considerat, veluti Spiritus Sancti Secretarium, qui id, quod scribit in manus cuiuspiam amicorum ac fidelium servorum suorum ut deveniat, disponit: peregrina ac divina illa lumina sunt, quæ de cælo ab eo, illi qui scribit, submituntur.

Fore etiam cogitat, ut particeps evadat meriti bonorum operum, quæ ex eorum, quæ describit, lectione consequentur. Scriptura enim illius idem, quod magistrorum spiritualium dissertationes bonæ, efficiet: ac fructus ipsæ fortassis eò amplior erit, quòd sermo prolatus transeat ac deperat, ubi Scriptura post plurimos annos perseverat.

*Directio.* Mi Deus, ut sanctè & fructuosè tempus meam impendam, cum obedientiæ sanctæ merito ad ea, quæ mihi & pluribus aliis, pii ac devoti ut evadamus, usui esse queant, describenda animum intendo. Toties in ista scriptione mea glorificare te desidero, quot lineas incipiam, imo quot literas pingam. Oro te, ut acceptam habeas actionem istam, veluti per Sanctissimas ac purissimas gloriosissimæ virginis manus illam tibi nunc offero.

## CAPUT XI.

*De solitudine ac lectione Spirituali.*

**U**Bi in cellulam sese suam denuò recipiet mentem ad Deum hac ratione elevabit: *Eccetempus, Domine, quod religio mihi per-*  
mittit,

mittit, ut tibi ac mihi soli extra omne hominum commercium vacem. Gratiam hanc mihi concede, ut illud utiliter transigam, atque in eo Spirituales delicias, quas fideles servi tui experiri tum solent, degustem. Virgo gloriosa, quæ Mater Dei fieri tum meruisti, cum intuo cubili sola reclusa consisteres, hanc ab ipso mihi gratiam obtrine.

*Piæ considerationes de secessu  
ac solitudine.*

*Vade popule meus, intra in cubicula tua, clau-  
de ostia tua uer te, abscondere modicum ad  
momentum.* Isa. 26. 20.

*Deducam eam (animam) ad solitudinem, Ose. 2. 19.  
& ibi loquar ad cor eius.*

*Hæc requies mea in seculum seculi, hic habi-  
tabo, quoniam elegi eam.* Psal. 131.  
14.

*Cella continuata dulcescit, & male custodita  
redium generat. Thomas à Kempis. In omni-  
bus requiem quæsiui, & nusquam inveni, nisi  
in angulo cum libello. Idem*

*Elevatio ad Deum ante lectionem  
Spiritualem.*

Sanctissime Spiritus, qui luminibus tuis Authorem hujus libri illustrasti, qui que illius operâ divinam tuam intelligere me facis doctrinam, gratiam mihi concede, ut ea, quæ in illo continentur, probè intelligam, adeò bene degustem, tamque profundè imprimam cordi meo, ut in praxin ea redigam ad majorem tuam gloriam, atque animæ meæ in perfectione profectum. Virgo Sacratissima, mecum, quæso, communica suavissimam

devotionem illam, qua sacram tu scripturam legebas, ubi in templo cellulae tuae inclusa morabaris. Hoc ego à te profundissima peto cum humilitate ac te imitandi desiderio.

*Devotæ Cogitationes atque  
aspirationes.*

*Sap. 7. 7.* Optavi, & datus est mihi sensus, & invocavi, & venit in me Spiritus Sapientiae.

*Psal. 118. 18.* Revela oculos meos: & considerabo mirabilia de lege tua.

*Da mihi, Domine, sedium tuarum, assistentem Sapientiam, ut mecum sit, & mecum laboret, & noli reprobare me à pueris tuis, quoniam servus tuus ego sum & filius ancilla tuae.*

*Sap. 9. 4. 5.*

*v. 10.*

*Emitte ill. m de caelis sanctis tuis, & à sede magnitudinis tuae, ut sciam, quid acceptum sit apud te omni tempore.*

CAPUT XII.

*De Missa Conventuali, vel quavis alia, cui interesse quis habet.*

**D**irectio prae-mittenda prius ad ipsam quam accedat. Pater aeternae, qui mundum sic amasti, ut illi unigenitum tuum filium dares: Et tu Domine Jesu Christe, qui pro immenso, quo in nos ferebaris amore, satis minimè habuisti, quod semel in cruce sacrificium pro peccatis nostris temetipsum obtuleris, verum etiam ter adorandum altaris sive Eucharistiae Sacramentum instituisti, in quo toties aeterno Patri tuo te offeres, quoties Sacerdotes missam faciunt:

huic